SECTIO I.
DE
PHARMACOLOGIA
IN GENERE.

§. I.

PHARMACOLOGIA, ſeu medicamentorum, præſertim officinalium, doctrina, recte in *mere practicam*, & *theoretico-practicam* diſtinguitur. Illa, ſpecialius a quibusdam *Pharmacia*, *Pharmaceutica*, iremque *Pharmacopœa* dicta, ſolummodo artem denotat, medicamenta, in officinas introducta, & hodienum uſualia, debite colligendi, præparandi, ac componendi: Hæc autem latius extenditur, &, præter medicaminum præparationem empiricam, ſimul etiam naturam eorum, vires atque uſum docet, & rationes, cur pharmaca hoc vel illo modo præparentur ac componantur, adducit & explicat. Hinc priorem *Pharmacopœi*, poſteriorem ipſi *Medici* addiſcunt, aut tamen, prout decet, addiſcere tenentur.

§. II.

MEDICAMENTA, in officinis obvia, vulgo ad tres claſſes generales rediguntur; quarum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0023-0 DFG

prima *ſimplicia cruda*, altera *ſimplicia præparata*, & tertia denique *compoſita* complectitur. De ſimplicibus crudis ordinario in *Materia medica ſtricte ſic dicta*; de præparatis & compoſitis autem in *Pharmacia* agitur.

§. III.

AD PHARMACA, præparata æque atque compoſita, varia, tum *chymica*, tum *galenica*, ſpectant, nimirum *ſpiritus*, *olea*, *aquæ*, *aceta*, *tincturæ*, *eſſentiæ*, *elixiria*, *extracta*, *ſalia acida*, *auſtera*, *alcalia*, *media*, *ſublimata*, *flores*, *magiſteria*, *calces*, *croci*, *maſſæ pilularum*, *rotulæ*, *morſuli*, *trochiſci*, *pulveres*, *confectiones*, *electuaria*, *ſyrupi*, *emplaſtra*, *unguenta*, & ſimilia, quorum omnium deſcriptionem, tam generalem, quam ſpecialem, ſequentes Sectiones exhibebunt.

§. IV.

CLARE exinde pateſcit, *Phyſicam*, *Botanicam* atque *Chemiam* multum inſervire Pharmaciæ, & unumquemque ideo pharmaceuticum theoretico-practicum in ſingulis hiſce probe verſatum eſſe debere, ut triplicis regni naturæ corpora, ad præparationem & compoſitionem apta ac neceſſaria, juſto tempore & loco colligere, genuina ab adulterinis diſcernere, & rite deinceps præparare atque componere, immo tuto & cum ratione in morbis adhibere ſciat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0024-6 DFG